



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 79. Legati a Papa missionem suam incassum petentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

§. LXXIX.

Legati a Papa missionem suam incassum petentes.

*Pallav. c. 13. No. 5.* Cum Legati plus quam integro anno Tridenti hæerent, inde recedendi licentiam, aliosque sibi subrogari a Pontifice petierunt; Cardinalis enim Montanus reapse tam adversa premebatur valetudine, ut sæpe lecto decumbens publicis congressibus interesse haud posset. Cervinus autem æque ac Polus obtinebant, quod alii demandata eis provincia dignius functuri essent, nec deerant aliæ rationes, quas ipsis eorum modestia suggererat, ac ipsi eas abs dubio a Papa gravissimas censi sperabant. Verum Paulus III. adeo nihil eorum precibus dederat, ut illos potius hortaretur, atque impense rogaret, quatenus ulterius operam suam pro utilitate Ecclesiæ impenderent; facile enim sibi persuasum habebat Pontifex, quod his Tridento recedentibus ægre alios ex Cardinalibus invenire posset, qui paricum dexteritate ac prudentia negotia tam ardua pertractare, Patrumque animos ob Nationum, ex quibus Synodus constabat, diversitatem non raro inter se dissidentes conciliare possent. Porro sub idem tempus Pontifex aliquod illius Diplomatis, quod circa disciplinæ emen-

emendationem multos ante annos con- Sæcul. XVI.  
 fecerat, exemplar ad Legatos transmi- A.C. 1546.  
 fit, ut Romanæ Curix emendationem  
 semetipsum reapse dudum desiderasse  
 ostenderet, palamque faceret, hanc jam  
 prius a se fuisse perfectam, quam a Sy-  
 nodo suggestam.

## §. LXXX.

*Congregatio contra abutentes verbis  
 sacre Scripturæ.*

**H**abebantur die tertia ac quinta Apri-  
 lis duo Patrum confessus, in quibus  
 agebatur de abusibus verborum sacre  
 Scripturæ, quando illa ad usus Verbi  
 divini Sanctitati omnino adversos, vel  
 ad artes magicas, aut ad superstitiones  
 pro inveniendis thesauris adhibentur,  
 vel famosis libellis Verbi divini textus  
 usu fere maligno ac impio applicantur:  
 præcipue vero id satyris Romæ adeo fre-  
 quentibus inserere prohibebatur. Ad  
 hoc etiam superstitionum genus revoca-  
 batur vanus sacrosancta Evangelia se-  
 cum deferendi, vel Dei nomen usurpan-  
 di usus pro prævertendis, aut sanan-  
 dis infirmitatibus, aut avertendis in-  
 fortunis, & pro rebus prosperis sibi  
 procurandis, vel etiam, quod majore  
 adhuc sapit malitiam, pro operibus  
 lascivis, aliisque impiis actionibus, aut  
*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Kk pro*